Washington University School of Medicine
Digital Commons@Becker

Lecture Notes | Brown, Gustavus Richard

1767

# De ascite

Thomas Marten

David Ruhnkenius

Follow this and additional works at: http://digitalcommons.wustl.edu/gustavus_brown_lecturenotes

Part of the Medicine and Health Sciences Commons

Recommended Citation
Marten, Thomas and Ruhnkenius, David, "De ascite" (1767). *Lecture Notes.* Book 4.
http://digitalcommons.wustl.edu/gustavus_brown_lecturenotes/4

This Book is brought to you for free and open access by the Brown, Gustavus Richard at Digital Commons@Becker. It has been accepted for inclusion in Lecture Notes by an authorized administrator of Digital Commons@Becker. For more information, please contact engeszer@wustl.edu.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# ASCITE,

*QUAM,*

JUVANTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate* MAGNIFICI RECTORIS,

DAVIDIS RUHNKENII,

HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *Conſenſu, &*
*Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

*Eruditorum Examini ſubmittit*


THOMAS MARTEN,

ANGLO BRITTANNUS.


*Ad diem* XIII. *Junii*, MDCCLXVII. *Horâ* X. *L. Q. S.*


*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud THEODORUM HAAK, 1767.

Bd. with -
xxW2
260
C967?
1767

1944708

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſam morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

HOR. *Lib.* II. *Carm.* II.

VIRO

DOCTISSIMO,

*MEDICO PERITISSIMO*,

ET

*AMICO INTEGERRIMO*,

THOMAS SMITH,

HOC OPUS CONSECRATUM EST,

UT SPECIMEN MINIMUM,

AMICITIÆ MAXIMÆ

AUCTORE.

NEC

NEC NON

GULIELMO ROBERTSON,

VILLÆ RICHMONDIÆ

IN ANGLIA

CHIRURGO PERITISSIMO,

SUO IN MEDICINÆ RUDIMENTIS

PRÆCEPTORI FIDELISSIMO,

MONITORI LIBERRIMO ET AMICISSIMO,
QUI MORTUO PATRE OMNE PATERNUM
OFFICIUM ILLO TEMPORE, SUSCEPIT, PRÆSTITIT, ABSOLVIT; ET
CUJUS TOT TANTAQUE
BENEFICIA
NULLUS DIES SIBI MEMORI EX ANIMO DELEBIT;
HUNC PRIMUM MEDICINÆ LABOREM JUVENILEM DEVOVET,

THOMAS MARTEN.



# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

## DE

# ASCITE.

### §. I. *DE HYDROPE IN UNIVERSUM.*

Inter varios, quibus humanum corpus obnoxium eſt, morbos, vix ulli ſæpius aut gravius homines afficiunt, quam qui generali Hydropis nomine inſigniuntur. De ſingulari generis hujusce morbo quodam verba facturus, hic in limine, ut quæ poſtmodum dicenda ſunt clariora evadant, quæ ad generalem hydropis doctrinam ſpectant, paucis præfari haud incommodum fore duxi.

„ *Hydrops igitur eſt collectio, præter naturam, aqueorum in quovis corporis cavo fluidorum.*

In ſano & naturali Corporis ſtatu, in unumquodque cavum certa

certa fluidorum aqueorum portio, ab exiguarum arteriarum extremis, per cavi latera ſparſis, ſecernitur.

Fluidum hocce ita ſecretum rurſus, pro certa ratione, ab extremis alterius generis vaſorum abſorbitur, quæ ideo inſtituta ſunt, ut id recipiant & in circulantem fluidorum maſſam denuo transmittant.

His ita poſitis & agnitis, conſentaneum eſt, præternaturalem aquæ collectionem in quovis corporis cavo fieri poſſe, ſiquando vel ſecretio aut effuſio fluidorum augeatur, vel abſorptio ſolita minuatur.

Hydropes ergo in univerſum, quatenus ex hiſce caſibus pendent, aut ab exhalatione præternaturali per arterias aucta, aut ex inhalatione a venis imminuta, oriantur, neceſſe eſt. Et ad percipiendam generalem hydropis naturam, in cauſas, quæ vel illam augeant, vel hanc minuant, inquirendum.

## *EFFUSIO AUCTA.*

Et primum quidem *auctæ effuſionis* cauſæ conſiderandæ obveniunt, quæ tres exiſtimandæ ſunt, quibus hæc aucta effuſio debeatur.

1. Preſſura in extrema vaſorum exhalantium aucta, orificiis exhalantium & fluidorum exhalandorum in conditione & ſtatu naturali manentibus.

2. Exhalantium apertura aucta, fluidorum preſſurâ & conditione iiſdem manentibus.

3. Fluidorum tenuitas aucta; unde fluidum per aperturam



ram exhalantem liberius effunditur, iiſdem & in ſtatu naturali manentibus preſſura & apertura.

Ad primm harum cauſarum quod attinet, in Hydraulicis datum & conceſſum eſt, copiam fluidi, e tubo aperturæ datæ effuſi, cæteris paribus, eſſe pro ratione preſſuræ, quâ fluidum in orificium tubi agit. Quicquid igitur intus contenti fluidi, in arterias exhalantes, preſſuram auget, majorem ejus fluidi copiam in dato tempore profundi efficiet, idque pro ratione auctæ preſſuræ.

In corpore autem humano, preſſura fluidorum in arteriarum extrema cauſæ variæ cenſeri poſſunt.

Impetus magnarum arteriarum auctus; quo ſanguis in vaſa minora majore vi & velocitate impellitur, atque inde ſecretio augetur.

Hanc cauſam fluidorum aqueorum ſecretionem augere, manifeſta indicia teſtantur; ſudores nempe & ejusmodi ſecretiones, ſoliti effectus motus corporis aucti, qui eâ excitantur; & ubi nulla alia in corpore, niſi auctus arteriarum impetus, mutatio induci videtur.

Idemque in febribus apparet, ubi arteriarum impetus auctus, victâ tandem minorum vaſculorum conſtrictione, liquidum & profuſum per totam corporis ſuperficiem ſudorem effundit. Veriſſima etiam & quæ maxime invaluit, de tumore in phlegmone opinio hæc eſt; eum, ſcilicet, oriri, ex adaucta ſeri ſanguinis effuſione in cavitates, in quas arteriæ parvæ terminantur.

Similis etiam ratio reddi poteſt ejus tumoris, qui omnes alias inflammationum ſpecies comitatur; quarum in

quibusdam ipſi hi tumores, ἀνάσαρκα, οἰδήματα, manifeſte obſervati ſunt. (*a*)

Secunda jam cauſa, quæ effuſionem augere poteſt, conſideranda obverſatur.

Fines arteriarum exeunt in venas, in ductus excretorios & in canales exhalantes: ubicunque igitur per ductum excretorium meatus impeditur, arteriæ impetus in vas exhalans, validius quam in ſtatu naturali aget; atque inde exhalantis liquoris effuſio ſolito major conſequetur. Et hoc etiam alium hydropis caſum ſuggerit, ex preſſura, nempe, in extrema exhalantium auctâ.

Hujus generis hydropes, qui perſpirationem obſtructam comitantur, haud forte tam aquoſi liquoris, in ſanguine retenti, copiæ imputandi ſunt, quam majori preſſuræ in extrema exhalantium membranæ cellularis; eo quod cutis ductus excretorii a frigore aliave quavis cauſa obſtruuntur.

Omnium autem aliarum ea ſæpiſſime cauſa, quæ præsſuram in exhalantium extrema præcipue auget, venoſi ſyſtematis affectibus debetur.

Quidquid ſanguinis cumulum, præter naturam, in venis majoribus efficerit, ſive ſanguinis curſum per venas impediendo, ſive alio quovis modo, preſſuram in extrema arteriarum exhalantium neceſſario tandem augebit; & proinde ex aucta effuſione hydropa parere poterit.

Atque adeo quodcunque ſanguinis circuitum per venas ma-

(*a*) Monro an Eſſay on the dropſy pag, 125.



majores impedierit, quæ nempe per pulmones vel dextrum cordis latus tranſeunt, aut in Vena Cava, Jecore, Liene &c. ſæpe hydropem inducet.

Et hujusmodi impedimenta aut a venarum obturatione aut anguſtatione oriuntur; altera a polypis vel alia quavis materia venarum cava implente aut occupante; altera a compreſſione externa, veluti a tumoribus ſchirroſis, ſteatomatibus, tumoribus cyſticis, graviditate &c. Vena etiam ab aucta laterum craſſitie, aut a tumoribus tunicarum anguſtari poteſt.

Quod autem obſtructio venoſi ſanguinis recurſui facta ad hydropa pariendum valeat, effuſionem ab arteriis exhalantibus augendo, ex Cl. Loweri experimento ſolerti clare demonſtrari videtur; qui, ingentis moloſſi canis thorace perforato, venam cavam aſcendentem ligavit, & poſtea vulnus conſuit; Quo facto, animal ſtatim elanguit & paucas poſt horas moritur. Refecto demum abdomine, tanta videbatur in eo contineri ſeri copia, quanta affuiſſet, ſi animal diu admodum aſcite laboraſſet (*b*).

Inter multa hydropum exempla a cauſis ſupra dictis exorta, pauca tantum memorabimus. Cl. Monro a ventriculi & lienis ſchirrhis duos tradit caſus memorabiles; (*c*) Cel. De Haen Aſcitæ hiſtoriam ab omento in tumorem ſeboſum pon-

(*b*) Loweri de corde cap. 2. pag. 123.
(*c*) Eſſay on the dropſy pag. 15. 16.

ponderis librarum triginta trium diſtento; (*d*) duo item ſteatomata ab uteri fundo exorta. (*e*) Tumores etiam hydropici inferiorum in fæminis pregnantibus extremorum, ſoliti plerumque graviditatis comites ſunt, in ultimis præſertim menſibus. Hydrops quoque Pectoris & Abdominis a polypo in utroque cordis ventriculo exortus. (*f*) Bonetus (*g*) & Illuſtr. Morgagni etiam ſimiles aliquot caſus tradunt. (*h*) Singularis itidem hydropis caſus, ab aucta craſſitie & tumore in tunicis venarum, clinico cuidam ægroto accidit, in Noſocomio regio Edinburgenſi 1765. (*) Hic

(*d*) Ratio Medendi vol. 1. pag. 285.

(*e*) Monro an Eſſay on the dropſy pag. 17.

(*f*) Ephem. German. dec. 2. ann. 6. obſ. 232.

(*g*) Sepulchret. Lib. III. §. 21.

(*h*) De ſedibus & cauſis morborum. Epiſtol. 38.

(*) Margaritta Page annorum triginta ſex ingreſſa eſt ægra clinica Noſocomium Regium Edinburgi 3. Kalend. Decemb. MDCCLXV. Maxima tum Dyſpnæâ cum tuſſi crebra & ſicca laborabat; nec, præ metu ſuffocationis, ſupina recumbere poterat, dormituriens ſubſultare ſolita; Genæ ſufflatæ & labia ſublivida erant; leviſſimo motu vertigo oboriebatur & ſpiritus deficiebat. In brachio lævo & tibia utraque auctus erat hydropicus, nulla autem fluctuatio in ventre erat, quæ percipi poterat, nec auctus conſpicuus; alvo regulari, pulſu non ita crebro, nullo cibi appetitu, & menſibus ſuppreſſis. Quatuor antè menſes febre intermittente affecta erat, quæ circiter hebdomadas decem durabat, eamque ad extremam debilitatem redigerat; quo tempore prolem mortuam enixa eſt, nec poſt lochia inſecuta ſunt. Poſt dies quatuordecem Reſpirationis Difficultas & pectoris dolor ſupervenit, quæ veſicatorio inter humeros applicato levata erant. Hæc ſymptomata mox ſequebatur tibiæ lævæ tumor, & Dyſpnæa iterum reverſa; Dyſpnæa autem, lævo brachio tumeſcente, abiit, ut primum Noſocomium ingreſſa eſt, punctura in lævo facta erat brachio, unde magna



Hic autem caſus ex ingenioſi Loweri experimento belle illuſtratur; quo, ligatis venis jugularibus canis, caput omneſque ſupra ligaturam partes tumore hydropico affici videbantur. (*i*)

Atque iſtæ quidem cauſæ, ſanguinis curſum obſtruendo, in venis majoribus ejus acumulationem efficiunt.

Ab aliis vero cauſis, ſanguinis meatibus in ſtatu naturali manentibus, accumulationes accidunt; Quarum una imprimis eſt quæ accumulationem efficit, erecta nempe corporis poſitura.

Quonam autem modo hæc cauſa preſſuram in extrema exhalantium arteriarum augeat, a notis Hydroſtaticorum legibus facile intelligi poteſt; & ab hac cauſa, in corpore humano, hydropes exoriri, crebra ſe produnt indicia, ex tumoribus intercutibus qui ſæpe veſpere occurrunt, in homi-

magna aquæ effluxerat copia, eamque multum levaverat. Parum tum ſiti erat affecta, & cutis ſatis frigida erat, ſed tuſſis crebra & moleſta vexabat; Pulſus poſtea accelerari perſtitit, tumor augebatur admodum, ſeque per totum caput, faciem & collum diffudit; deglutitio & locutio perquam difficilis evaſit. VII. Id. Decembris, pulſus ad 116 aſſurgebat, deglutitio & locutio liberior fuit, ex punctura in collo pridie facta, unde copioſa fuerat profuſio; ſed jam continuo ſopore & dolore quodam capitis gravabatur. VIII. Id. Decembris, ſtupore & delirio vehementer aucto, de violento per dorſum dolore a priore uſque nocte graviter conqueſta eſt. Reſpiratio tum moleſtiſſima, pulſus admodum exilis & irregularis & deglutitio difficillima. Symptomata augeſcere pergebant, & Id. mortua eſt. Inter diſſectandum, venarum tunicæ, lævæ nempe jugularis & ſubclavianæ, inventæ ſunt multo craſſiores factæ; & glandium vicinarum aliquot auctiores, eodem fere modo quo ligaturæ in venas agere videbantur.

(*i*) De corde cap. 2. pag. 128.

minibus proceræ admodum ſtaturæ, aut quorum vitæ munia maximam diei partem pedibus inſiſtere cogunt, mane autem poſt nocturnum recubitum ex cubanti corporis poſitura abeunt.

Sanguinis accumulatio in venis, ſeu plethora venoſa interdum a ſolitæ ſanguinis evacuationis ſuppreſſione oriri videtur; traditur enim hydropis hiſtoria a menſium ſuppreſſione, (*k*) a ſuppreſſione itidem hæmorrhoidum (*l*).

Solitæ etiam ſeroſæ evacuationis ſuppreſſio, eodem tendere poteſt, ut plethoram in ſyſtemate venoſo pariat, & proinde hoc modo hydropem inducat. Quamvis hæc forte aqueam ſanguinis portionem potius auxerit, quæ ab exhalantium extremis elabitur. Et hujusmodi hydropes magis aquearum ſanguinis partium abundantiæ, quam venarum plethoræ attribuendi ſunt.

Hactenus iis cauſis, quæ, fluidorum preſſuram in exhalantium arteriarum extrema augendo, hydropem inducunt, obſervatis; alia effuſionis auctæ cauſa, menſura nempe aperturæ exhalantis aucta, conſideranda prodit.

Singula in corpore humano vaſcula exhalantia, quantumvis parva, ſicut vaſculum quodvis aliud arterioſum, tunica muſculari, contractili, aliquatenus inſtructa ſunt; & rationi conſentaneum videtur, iſtorum canalium parvorum

(*k*) Forrestus Lib. 19. obſ. 34.

(*l*) Ibid. obſ. 39.



rum modum & capacitatem, reſiſtentiam etiam quæ fit fluidis in eos impulſis, magna ex parte, hujus tunicæ muſcularis viribus & contractilitati deberi.

His igitur poſitis, facile ſtatuere licet: quicquid fibrarum muſcularium in parvis arteriis debilitatem aut atoniam inducit, id earum reſiſtentiam, quæ fluidis fit circulantibus, minuere & efficere ut a ſolita preſſura dilatantur. Qua ſub conditione, extrema exhalantium faciliorem fluidis incluſis tranſitum præbent.

Hinc igitur, in omni relaxationis genere, ut in chloroſi, cachexia & paralyſi, tumores aquoſos aliquatenus ſaltem comitantes cernere eſt; quoniam pallor, cutis ſqualor, ſolidorum relaxatio & frigidi indolentes tumores, aſſidui ſunt virium vitalium languoris comites; hydrops enim ſemper paralyſin comitatur.

Ad tertium jam cauſarum genus auctæ effuſionis accedimus, auctam ſcilicet aqueorum fluidorum, proportione, copiam.

Augeri autem poteſt aqueorum fluidovum copia, aut inſolita liquorum aqueorum mole, uſu in corpus aſſumpta aut craſſioribus, viſcidioribus & conſtantioribus ſanguinis partibus ſubductis, veluti rubris globulis & lympha ſimul, in hæmorrhagia; vel lympha ſimplicius per ſe, in evacuationibus ſeroſis: aut demum aquoſa ſanguinis parte perperam retenta, ut in perſpirationis & obſtructa urinæ ſecretione.

Hydropum, qui a nimia tenuiorum liquorum uſu oriuntur, exempla ſunt plurima.

 Mon-

Monro caſum cujusdam tradit, qui, in febre, ingentem aquæ hordeaceæ copiam bibendo, anaſarcam fere inſanabilem ſibi induxit. (*m*) Ingen: Willis fœminæ junioris, nutricis hiſtoriam enarrat, quæ immodico cereviſiæ tenuioris potu, nunc per ſe, nunc lacte miſtæ, aſcitem contraxit. (*n*) Similis etiam huic caſus traditur. (*o*)

Et ad hæmorrhagias quod attinet, Riverius e vomitu ſanguinis aſciten memorat. (*p*) Liſterus e ſputu ſanguinis. (*q*) Forrestus nimia menſium diuturnitate. (*r*) Item ſanguinis vomitu. (*s*) Aliique alios ejusmodi effectus tradunt. Ex nimia venæſectione duos caſus. (*t*) Ex crebris hæmorrhagiis & liberiore tenuiorum liquorum uſu. (*u*) Schenkius crebro & diuturno e naribus ſanguinis profluvio. (*w*) Celeb. Hofmannus e profluvio ſanguinis poſt abortum tertio menſe factum. (*x*)

Hydrops qui oritur ex lympha purius & ſimplicius evacuationibus ſeroſis ſubducta, ſæpius occurrere videtur, eo quod

(*m*) An Eſſay on the dropſy pag. 11.
(*n*) Pharmac. Ration. P. 2. cap. 3. §. 2.
(*o*) Miſcell. Curioſ. dec. 2. ann. 9. obſ. 133.
(*p*) Obſervat. commun. 15. pag. 556.
(*q*) Exercit. Med.
(*r*) Lib. 19. obſ. 35.
(*s*) Ibid. obſ. 42.
(*t*) Miſcell. Curioſ. a. n. c. dec. 2. ann. 2. obſ. 169.
(*u*) Philoſoph. Transact. N. 471.
(*w*) Obſerv. lib. 3. de Hydrope obſ. 9.
(*x*) Tom. III. Cap. 14. de Hydrope obſerv. 3.



quod morbus hicce toties Diarrhæis, Dyſenteriis & purgantium admodum acrium uſui ſuccedant.

Exempla hydropum, qui ex urinæ aut perſpirationis ſuppreſſione ſola oriuntur, ſine alia cauſa, crebra admodum non ſunt; ſed ejusmodi, ut ab hisce cauſis oriri poſſe ſtatuant. Ut aſcites ab intermiſſione conſueti poplitum ſudoris. (*y*) Listerus hunc memorat a dyſuria evenire. (*z*) Et a ſubita urinæ oppilatione. (*a*)

Huc usque eos hydropis caſus, qui ab aucta effuſione oriuntur, conſideravimus, quatenus a naturalibus fit organis ſecretoriis, quæ fluida in varia corporis cava effundunt; Præter hanc autem creberrimam hydropis cauſam ab effuſione, aliud etiam eſt cauſarum genus, huic auctæ effuſioni referendum, ſed quod a priore diverſum exiſtimari poteſt; quatenus non naturali ſecretione efficiatur, at laceratione aut ruptura vaſculorum tenuiora aquea corporis fluida transmittentium: qualis eſt ruptura parvarum arteriarum ex contuſionibus, luxationibus &c. aut ipſorum abſorbentium vaſculorum, puta lymphaticorum, ex nimia diſtenſione &c.

Quibus ex cauſis hydropum exempla ſatis multa occurrunt, quorum quædam a variis ſubjiciantur (*b*).

Du-

(*y*) Act. Phyſ. & Med. Vol. 5. obſ. 2,
(*z*) Exercit. Med. de Hydrope.
(*a*) Miſcell. Curioſ. a. n. c. dec. 3. ann. 5. & 6. obſ. 185.
(*b*) Turner Hydrocelen memorat ex contuſione ab ephippis. vol. 1.

Dubium forſan eſt, an huic generi accenſendæ ſint extraordinariæ illæ effuſiones, præter naturam, quæ interdum a veſicularum aut ſaccorum rupturis in cava illabuntur.

In hydrope cyſtico, (e. g. ovarii) quamdiu cyſtis, in quam aqua colligitur, integra manet, tumoris hydropici incrementum (i. e.) aquæ in eum effuſæ copia tarde & ſenſim admodum fit, ne per multos annos in molem aliquam magnam evadit; ſi tamen cyſtis hæcce frangatur, ejusque fluidum in abdominis cavum effundatur, tum aquæ copia, ex interna membranæ cyſtidem formantis ſuperficie effuſa maxime augetur; ea veriſimiliter de cauſa, quod preſſura fluidi, antea in cyſtide contenti nunc amovetur.

Penſitatis igitur variis cauſis, quæ aquæ effuſionem in quodvis corporis cavum augendo, hydropem creare poſſunt, deinceps examinanda venit altera ſupra memorata generalior cauſa, vi͡ʒ.



1. pag. 229. Monro ex lapſu ——— Eſſay on the dropſy pag. 125. Anaſarcam ſcroteam ex ictu pridie accepto ——— ibid. pag. 125. Hydropem thoracis, ex plaga in pectore. ibid. pag. 18. Celeberr. Mead Abdominis hydropem, a plaga in dextro latere. Mon. Med. Cap. VIII. pag. Riverius pedis hydropem a luxatione Tali ——— Cent. III. obſ. 71. Monro anaſarcam univerſam ex Carpi luxatione in conatu ponderis tollendi. Eſſay on the dropſy pag. 12. Alii etiam duos hiſce ſimiles caſus. Memoir. de l'Academ. des Sciences l'ann. 1700. & 1710.



## *ABSORPTIO IMMINUTA.*

Quæ ab ipſorum abſorbentium vaſorum obſtructione exoriri poteſt. Atque hæc nunc duorum generum eſſe ponuntur.

1°. Venarum extrema, ad ſanguiferum ſyſtema pertinentium, quibus in iis corporis partibus, quæ venis lymphaticis valvularibus non inſtruuntur, fluida effuſa abſorbendi munus neceſſario aſſignantur.

2°. Venæ lymphaticæ valvulares, ad quas generalius officium iſtud proprie pertinet.

Quarum poſteriorum obſtructio duplex videtur; aut meatuum generaliorum, aut ſingularium lymphaticorum obſtructio.

De hiſce ſpeciatim ordine dicendum.

Abſorptio igitur imminuta accidere poteſt a venarum obſtructione, in iis corporis partibus, quæ lymphaticis abſorbentibus carent.

Idque nullibi humani corporis obtingit præterquam in cerebro, ubi huc usque vaſa lymphatica abſorbentia nunquam exiſtere conſtitit; atque hæc veriſimiliter præcipua eſt Hydrocephali cauſa.

Ad obſtructionem lymphaticam quod attinet, aut in lymphaticis generalioribus aut in ſingularibus, maxima lymphæ pars a venis lymphaticis in ductum thoracicum tranſit & in venam ſubclavianam defertur.

Si quavis de cauſa, liber lymphæ tranſitus per vaſcula

lymphatica majora impediatur, in lymphaticis minoribus ſtagnabit lympha, eaque diſtendens prohibebit quo minus ſeſe depleant; unde abſorptio in corporis cava ceſſabit, & exhalatione per arterias procedente, hydrops ſequetur. Et in hujus rei exemplum, Scherbius lapillum in receptaculo chyli hydropem induxiſſe tradit (*c*).

Rariora ſunt morbi hujus exempla a lymphaticis particularibus orientis, verum ab hac cauſa hydropes oriri una aut altera hiſtoria vel ſatis probat.

Solertiſſimus ALEX. MONRO junior, ſe tumorem hydropicum in altero extremorum inferiorum, ex alterius glandium inguinalium tumore exortum obſervaſſe memorat; idemque phænomenon in ſuperioribus extremis ab axillarium glandium tumore animadvertiſſe tradit. Celebris etiam Hunterius tumoris inguinalis hiſtoriam refert; quo rupto, magna tenuis aquoſi fluidi vis effuſa eſt, & ingenti copia per dies aliquot effundi pergebat, ſenſim autem minuebatur & ſubito tandem deſiit; pro ratione vero vulneris inguinalis *ſanati tumor hydropicus in crure* vicino exoriebatur. (*d*)

Abſorptio imminuta ab abſorbentium etiam paralyſi evenire poteſt.

Abſorbentia autem irritabili aut muſculari contractione imbui,

(*c*) Diſſert. Inaugur. in Celeberrimi HALLERI collect. diſput. Vol. V.
(*d*) Medical Commentaries P. I. pag. 58.



bui, a variis phenomenis apparet; eo nempe quod poſt mortem ſeſe evacuent. &c. &c.

Si igitur contractio illa aut vis muſcularis ab iisdem cauſis minuatur, quæ in aliis corporis partibus paralyſin inducunt; conſentaneum eſt abſorbentium depletionem ſimiliter tardari, & exinde fluidorum abſorptionem lentius procedere. Atque huic origini, aliquatenus, hydropes paralyſin & extremorum atoniam comitantes, attribui videntur.

His itaque hactenus, de hydropum cauſis univerſim præmiſſis; ad aſcitem, diſſertationis hujus præcipium argumentum, ſigillatim conſiderandum progredimur.

## §. II. DIAGNOSIS.

### DEFINITIO.

„ *Aſcites eſt accumulatio, præter naturam, fluidorum effu-*
„ *ſorum in abdominis cavum, i. e. inter peritoneum & viſce-*
„ *ra abdominalia.*

Difficulter aſcites a quibusdam aliis hydropis ſpeciebus, quæ ad eosdem fere locos ſitus ſuos habent, diſtinguitur; ut plurimum vero per ſequentia indicia ſe ſatis manifeſtare videtur. Quippe a tumore abdominis gravi, non circumſcripto & ab inferiore abdominis parte incipiente, fluctuatione contentæ aquæ, delapſu humoris & inde tumoris verſus latus in quod æger decumbit, ubi ſaltem totum abdominis cavum mondum accurate repletum fuerit, &, mo-

monente Lommio, (e) ſiti inexplebili in hac ſpecie morbi maxime urgente, urina pauca lixivialis colore rubescente & lateritio, ac, morbo in ſummum aucto, reſpiratione difficili, & in ſitu ſupremo vix aut non omnino peragenda.

Tumor diffuſus hunc morbum ab hydrope inter peritonæum & muſculos abdominis diſtinguit, in quo fere ſemper circumſcriptus tumor eſt, plerumque etiam in anteriore parte abdominis ſitus eſt hic morbus, neque ex ſitu ægri mutato tumor, ut in aſcitide, locum ſuum variat; lente etiam increſcit hic morbus, neque adeo ſubito aquoſas ſanguinis partes abſtrahit, ut ſiti moleſta afficiantur ægri, aut urinæ quantitas notabiliter minuatur, ſed quæ quantitati potus, ut in ſanitate, reſpondeat, colore manente naturali; reſpiratio etiam, quando tumor in immenſam molem augetur, haud ita valde impeditur.

Exemplum autem hujus morbi maxime memorabile inter Tulpii obſervationes legere eſt. (f)

Ex ſymptomatum hujus ſpeciei hydropis enumeratione, inter eum atque aſcitem facile admodum & manifeſtum adparet diſcrimen; ſed in cyſtico abdominis hydrope ſymptomata haud ita facile diſtinguuntur.

Hydrops Cyſticus forme oritur, ex aquæ collectione intra dilatatum glandis cavum, aut in membranis cellularibus, quæ diſtentione veſiculas aut ſaccos formant, nec forte usquam, uti a quibusdam aſſeritur, in vaſis dilatatis conſtat.

(e) Obſervat. Cap. de hepat. Lib. 2. obſ. 12.
(f) Lib. IV. Cap. XXXXIV.



Iſtæ veſiculæ & ſacci, ubi auctiores ſunt, attrectati, veluti Hydatides altius poſitæ ſentiuntur; ubi vero in tantam increverunt molem, ut abdominus cavum impleant, ab aſcite vix diſtingui poſſunt; quo in caſu in morbi hiſtoriam & progreſſum diligenter inquirendum eſt, & ſymptomata præſentia accurate ſunt examinanda.

Æger hic ferme, ut in peritonæi hydrope, dolorem obtuſum & tenſionem ſentit, quibus tumor ſuccedit; progreſſus tardior eſt quam in aſcite, & quando veſiculæ viſcerum alicui adnectuntur, æger interdum molem ſeu pondus ab altero in alterum ventris latus dilabi ſentire videtur; reſpiratio minus ferme quam in aſcite afficitur, corpus multo facilius ſuis fungitur officiis, & urina pro potus ratione copioſior eſt.

Abdomen in hoc morbo nullatenus ullis medicamentis minuitur, ipſeque morbus interdum per annos aliquot ſine gravi aliquo incommodo perdurat.

Ubi ſacculi in Jecore aut Liene inſunt, perceptu difficillimi ſunt, aut ubi parvuli complures ſunt per cavum abdominis ſparſi.

Aſcites facilius ab ovarii hydrope quam a priore ſpecie diſtinguitur.

Ovarii hydrops ab obtuſo incipit dolore, & ponderis ſenſu in altero Hypogaſtrii latere, quem tumor circumſcriptus comitatur; ægræque hanc morbi ſpeciem absque ullo

ullo notabili valetudinis impendio perferunt; vires concoctrices vigent & valent, ſæpe etiam concipiunt & liberos pariunt; ſolita quoque in hoc morbo manet urinæ copia, interdum in lateris effecti femore tumor accidit, atque hoc morbi ſignum eſt pathognomonicum; admotum autem difficile eſt inter hunc & aſciten diſcrimen, ubi eo increvit, ut abdominis cavum impleverit, nec niſi per ſymptomata ſupra memorata percipi poteſt, quamvis ſæpe etiam abdominis dolor & vomitus adſit.

Aſcites a Tympanite duobus hiſce ſymptomatibus diſtinguitur; nempe in tympanite abdomen percuſſum inſtar tympani ſonitum reddit, æger etiam, licet abdomen multum diſtendatur, multo tamen levius & facilius ſe habet quam in aſcite.

Hunc ergo in modum diagnoſi conſiderata, ad morbi hiſtoriam pergimus.

## §. III. *SERIES ET ORDO SYMPTOMATUM.*

*Aſcites* ferme a magna incipit urinæ inopia, coloris flavi rutili intenſioris, comitante intercute pedum tumore, qui veſpere multum augetur, nocte vero e corporis jacentis ſitu ſubſidit & deturget, mane autem per faciem apparet inflatio hydropica, præſertim in ſuperciliis, aut in manu alterutra, in quam æger per noctem incubuerit; valida adeſt ſitis, & abdomen ſenſim impletur fluido, quod unamquamque ejusdem altitudinis partem æqualiter premit;



mit; ægro ſtante, hypogaſtrii regio admodum diſtenditur, jacente vero & in poſitu ſupino, inferior lumborum regio diſtenditur & Diaphragma ſurſum premitur; dyſpnea adeſt cum tuſſi ſicca, febris quædam quamvis ferme levis, cum inſigni laſſitudine, anorexia, magna alvi adſtrictione, macie & ſuperiorem extremorum defectione, pulſu etiam exili, crebro, duro quodammodo & tenſo; morbo invaleſcente, in viris ſcrotum, femora & penis, in fæminis labia pudendi & femora magnopere diſtenduntur. (*g*)

Ubi tanta eſt aquæ copia, quanta totum abdomen impleat, tum reſpiratio adeo difficilis evadit, ut æger, ne ſuffocetur, erectus dormire cogatur, ſomno interim moleſto, interdumque aliquantulum pituitæ cruentæ expuat, & ſæpe in extremo morbi ſtadio, e naribus hæmorrhagiæ cum ulceribus, gangrenis & viſcerum ſphacelis apparent.

## §. IV. *RATIO SYMPTOMATUM.*

Horum plerumque ſymptomatum ratio ex ipſius morbi natura facile patet.

Ab aqua in membranam cellularem effuſa tumores exoriuntur, qui ſecundum ſtatum & ſitum corporis ſuum etiam ſitum mutant, nunc in manibus, pedibus, facie, nunc in ab-

(*g*) Sauvages Noſolog. Method. Vol. V. Claſſ. X. pag 328, 329.

abdomine obverſantes; & intra abdominis cavum collecti dyſpnæam & tuſſim ſiccam efficiunt.

Urina exigna eſt & admodum intincta, eo quod aquæ moles, quæ per renes tranſire debebat, in membranam cellularem effuſa eſt; eandemque ad cauſam ſitis eſt referenda, præcipue ſi huic accedat, humorum acrimonia & ſalſitudo huic auctior facta.

Anorexia & alvus durus, viſcerum chylopoieticorum macerationi & ventriculi tono delecto attribuenda ſunt.

Macies tam a paucitate nutrientium fluidorum, quæ concoctione parantur, quam a generali fluidorum acrimonia exoritur; & a cauſis ſimilaribus quibus febris lenta inducitur, ſanguis diſſolvitur & tuſſiendo exſpuitur, aut e naribus crebris hæmorrahagiis defluit, quibus gangrenæ ſuccedunt & mox mors conſequitur.

## §. V. *CAUSÆ ASCITÆ SPECIATIM.*

Quoniam fuſe adeo de hydrope in univerſum diſſerrimus, ejusque cauſas generaliores enarravimus, pauciora reſtant dicenda de iis, quæ ſpeciatim aſciten inducunt; quum ſupra oſtenſum ſit, plerasque illic memoratas, poſſe hanc etiam morbi ſpeciem producere.

Quare breviter omnino eas cauſas monſtrabimus, ad quas aſcites præcipue, magis quam ulla alia morbi ſpecies originem ſuam refert & ex iis creberrimæ ſunt & maximæ.

1°. Quæ ad auctæ effuſionis caput, pertinent, illumque ejus capitis caſum, qui a preſſura in extrema vaſorum aucta oritur, e ſanguinis ſcilicet in ſyſtemate venoſe accumulatione, ex obſtructionibus ſanguinis curſui factis per Pulmones, Cor, Ventriculum, Jecur, Lienem, Omentum, Uterum aut aliud quodvis viſcerum, quæ intra abdominis cavum continentur; præſertim vero ex obſtructionibus Jecoris & Lienis, quoniam venæ ſanguinem a præcipuis abdominis viſceribns referens, ad jecur defert, per quod tranſit, antequam venam cavam ingrediatur; ſi iſtud igitur viſcus obſtruatur, id in cauſa eſſe poteſt, ut a vaſorum extremis in abdominis cavum, præter naturam, effuſio fiat.

2°. Præter haſce obſtructiones, quæ ſæpenumero ſanguinis accumulationem in venoſo abdominis ſyſtemate creant; iidem effectus ex alia cauſa ſequuntur, quæ non raro intervenit, ſolitarum nempe evacuationum, veluti menſium & hæmorrhoidum, ſuppreſſis; atque aſcitæ ex iis cauſis exorientis, exempla aliquot jam ante in prima ſectione memorata ſunt.

3°. Aſcites porro præcipue ex veſicularum & ſacculorum ruptura efficitur, quæ ſæpius in abdomine quam in ullo alio corporis cavo accidit. (*h*).

4°. Alia demum aſcitæ cauſa eſſe poteſt, obſtructio facta lymphæ, per tranſitus generales redeunti, quæ in quibusdam majorum Lymphaticorum vaſibus rupturam efficiat. (*i*)

§. VI.

(*h*) Medical Eſſays Vol. V. p. 2. art. 64. —— Act. Haffnienſ. Vol. V. Obſ. XII. De Haen Rat. Medend. Vol. 2. p. 5. Cap. 2. §. 2.

(*i*) Mortons Phtiſiologia Lib. I. Cap. X.

## §. VI. *PROGNOSIS.*

Ut varia ſit, oportet, pro variis cauſis morborum inducentibus. Ubi a ſchirris & obſtructionibus in viſceribus abdominalibus oritur, ex infelici, vulgo, medicorum ſucceſſu in hiſce morbis tractandis, eorum cauſas inveniendi, & remedia quæ eas tollant, adhibendi difficultas apparet. Hydropes igitur ab hiſce cauſis oriundi raro curationem radicalem admittunt, & ſanatio imperfecta (ſeu palliativa ut aiunt) ſolum eſt exſpectanda.

*Eſt quodam prodire tenus ſi non datur ultra.*

Hor.

Prognoſis autem potius ad ipſorum morborum hiſtoriam pertinet, quorum hydrops magis quaſi effectus exiſtimetur.

Obſervandum tamen eſt hydropes iſtis ex cauſis oriundos, nequaquam, propter ſolam illas cauſas amoliendi difficultatem, negligendos eſſe: cum facile oſtendi poſſit, morbos illos, ſeu morbi cauſas, diu quidam ſubſiſtere poſſe, *ſed multum ab ipſis ſymptomatibus aggravari;* quæ igitur omni, quo fas ſit, modo amovenda ſunt.

Quando Hydrops in cyſtide intra abdominis cavum continetur, Prognoſis tum proclivior erit, quod ejusmodi hydropes interdum per annos complures ſine magno ullo incommodo durent.

Ubi Aſcites ex evacuationum ſuppreſſione oritur, Prognoſis pro majore aut minore eas reſtituendi difficultate, ſe habebit.

§. VII.



## §. VII. *MODUS MEDENDI.*

Quandoquidem omnia medicamina in una aliqua hydropis ſpecie adhibita, ſimiles fere in omni alia effectus produnt, heic tantum generalis curandi ratio proponenda videtur.

Et primo, ubi Hydrops ex aucto ſanguinis momento, ab aucta arteriarum actione effecto, exoritur; hic indicationes ſunt, primum, aucta arteriarum actio tollenda & minuenda eſt, dein Hydrops ejus effectus amoliendus eſt.

Ad primum obtinendum, remedia vulgo in caſibus ſyſtematis inflammatoriis uſurpata, hic utiliter adminiſtrabuntur; & a pluribus medicis practicis venæſectionem utiliſſimam eſſe compertum eſt. Cujus in Hydropibus, ab hac cauſa veriſimiliter, oriundis, efficaciam commodam, & ſingularem mecum communicavit Medicus Ingenioſus & amicus meus Darwin de Lichfield in Anglia. (*)

Hy-

(*) Quidam annos natus plus minus triginta ſpiritibus bibendis multum deditus, Aſciten, & in extremis inferioribus Anaſarcam contraxerat, reſpiratione moleſtiſſima comitante, de dolore quem in jecoris regione perſentiebat, querebatur, cum pulſus ſimul plenus & creber adeſſet. Venæ ſectionem tertiam ſubiit, ſanguisque ſemper diatheſin inflammatorium monſtrabat; Ter medicamentum cum Mercurio dulci catharticum uſum eſt, dein vomitu, & poſtea aliquamdiu cortice & Chalybe pro more preſcripto. Quo pacto prorſus convaluit, & ab hoc tempore, per annos jam quinque, ab omni querela aut in commodo hydropico immunis perſtitit.

Hydropum vero cauſa maxima ut ſæpius ſupra dictum eſt ex obſtructionibus oritur, qua ſanguinis accumulationes in venis majoribus efficiunt.

Iſtæ autem obſtructiones e variis cauſis pendent, & in diverſis ſyſtematis venoſi partibus ſitus ſuos habent, æque varios.

Curationis indicationes pro morbi varietate varianda ſunt, rationes etiam ineundæ quæ hiſce indiciis reſpondent.

Hic autem pleniorem rationum, quæ huic rei inſerviunt, enumerationem inhoare, inſtituti noſtri ratio, non patitur; ita enim in variam disquiſitionem diſtineremur, de natura ſcilicet variorum morborum, quales ſunt Pulmonum obſtructiones, variæ Catarrhorum ſpecies, varii etiam pulmonici affectus. &c. &c.

Ex cauſis iſtis multum feliciter ſubmoveri poſſunt; quo in caſu, ſymptomata hydropica ſponte ſua evaneſcunt. Medici tamen plerumque cauſas illas tolli deſperantes, coguntur, quoque modo potuerit ſeſe ad earum effectus amovendos accingere, ad aquam nempe hiſce cauſis effuſam, evacuandam. Quod quidem duobus ferme modis efficitur.

1°. Fluidorum effuſorum abſorptionem iterum promovendo, eaque mox per quædam corporis emunctoria evacuendo.

2°. Apertura artificiali, paracenteſi ſcil. aquam hydropicam emittendo.

## *VOMITU.*

In hydrope curando medicorum maxime, in emeticorum uſu ſubſidium maximum poſuerunt, quod ſolidorum oſcillationem & fluidorum motum præcipue augent; in iis autem adminiſtrandis ſumma adhibenda eſt mollities atque cautela, in ægris præſertim qui hæmorrhagiis obnoxii ſunt. Emetica enim ſtimulo ſuo abſorbendi vim admodum excitant, ut, quamvis continuo non ſequatur aquarum evacuatio, attamen (ſecundum immortalis Sydenhami obſervationem) (*k*) vomitu deſinente, purgatio vulgo inſequatur, quæ aquas abſorptas aufert, quo bis terve repetito aquæ tum vomitu tum dejectione evacuantur (*l*): ubi vero aquæ minore copia colliguntur, difficilius Emeticis exhauriuntur. (*m*)



Huic etiam Auctori in praxi fuit fortiſſima quæque Emetica præcipere; quod a Celeberrimo Boerhavio etiam adoptatum eſt: „ ſed fortia dari, ſæpe repeti, & ſine „ longa mora intermedia ſe mutuo excipere debent. " (*n*)

Fortia hæc Emetica communiter utroque modo operantur tum emetico tum etiam cathartico. Quando tantillis adhibentur doſibus, ut vomitum non provocent, & crebro repetitis, copioſam liquorum aqueorum depletionem urina & dejectione efficiunt, ſæpeque etiam ſudorem copioſum excitant (*o*).

*PUR-*

(*k*) Oper. omnia Cap. de hydrope pag. 489.
(*l*) Ibid. pag. 493.
(*m*) Ibid. pag. 496.
(*n*) Aphor. 1245.
(*o*) Monro an Eſſay on the dropſy pag. 56.

## *PURGATIONE ALVI.*

In hujus morbi curatione naturæ conaminum contemplatio in magnam Catharticorum utilitatis opinionem medicos adduxit, ut natura ſæpius hac, per diarrhæam, quam ulla alia via ad aquam evacuandam tendat.

Cathartica & diuretica iis, quas per renes atque inteſtina creant evacuationibus non ſolum aqueorum in ſanguine fluidorum copiam minuunt, ſed ſtimulo etiam circulationis vim augent; unde exhalatio per arterias neceſſe eſt ut minuatur, ſimulque abſorptio per venas augeatur (*p*).

Verum in corporibus humanis quædam eſt Idioſyncraſia quâ facilius aut difficilius purgantur, quare ſenſibile corporis temperamentum hoc in caſu regula non eſt habenda, ut ait Sydenhamus: ſæpe enim accidit, ut qui robuſtioris ſunt conſtitutionis, facilius purgentur, ii autem qui habitu ſunt delicatiore fortiora Cathartica poſtulent. Cathartica etiam, quamquam ad excretiones aquoſas augendas conferunt; ſimul tamen ad ægri vires minuendas tendunt.

Ubi ægri oris & pectoris ſiccitate afficiuntur & aſſidue ſterni calore; ſi reſpiratio admodum difficilis eſt comitante tuſſi breviore, & interdum ſuffocatione magna etiam ſiti &c. mitiſſima (quando curatio palliativa, tantum indicatur) purgativa adhibenda ſunt: qualia Sal. Neutral. & Manna,

(*p*) Whytts Phiſiolog. Eſſays. pag. 86.



Crem. Tart. Elect. Lenitiv. Tart. Solub. Tart. Vitriolat. Caſſia &c. Horum atque Clyſterum uſu alvus ſæpius ſolvendus atque abluendus eſt, lenia ſimul diuretica ſubacida & cardiaca ad urinam promovendam ſunt adminiſtranda; (*q*) lenia autem purgativa, niſi in his caſibus inutilia ſunt.

Purgativa hydragoga ſunt Elaterium, Scammonium, Gamboga, Jalapium, ſuccus Iridis (vulgo *flower de luce*). Mercurius etiam aliquando commodiſſime dari poteſt. Interdum Cathartico hydragogo altero quoque die adhibito, hydrops ſine alius medicinæ ope curatur. (*r*) Radix Senekæ, vel polygala Virginiana comperta eſt vim purgatricem, diureticam & ſudorificam exeruiſſe per Decoctum exhibita, in Hydrope univerſali & febre etiam comitante, optimo cum ſucceſſu; & licet Lien augeretur & dureſceret, tumor tamen & febris curata ſunt (*ſ*).

Cathartica Diureticis miſta vel alternis adminiſtrata vires ſuas invicem maxime augent; ubi vero Cathartica aquam non evacuant morbum admodum adgravant.

## *URINÆ VIA.*

Diureticorum ea præcipue ſunt commoda, quod, cæteris paribus, minus quam aut Emetica aut Cathartica corpus

(*q*) Celeb. Storck ann. Medic. p. 1758. pag. 60.
(*r*) Ibid. p. ann. 1761. pag. 61.
(*ſ*) Memoir l'Academ. des Sciences l'ann. 1744.

pus turbent, minusque ægrum debilitent. In omni habitu delicato, & ubi magna eſt ſyſtematis mobilitas, ſola ex evacuantibus uſurpandæ ſunt.

Hic ejusmodi medicamentis utendum quæ ſtimulo ſuo & propria vi urinæ profluvium promoveant; ſed medicamenta fluida hujus generis, cum incertus ſit eventus quem effectum habitura ſint, ubi magna copia bibuntur, niſi proſint, ſemper nocent.

*Inter Diuretica Radix Scillæ primum locum merere videtur*; eaque ſola medicina Hydropes aliquot leviores ſanatos conſpexi: & in Morbi ſtatu inveteratiore ſymptomata ſemper levari, niſi fixus in ſterno dolor comitaretur, quo in caſu ſymptomata ſemper aggravabantur. Et hoc modo commodiſſime ſimul & utiliſſime ſumi videtur, nempe,

℞ Aq. Cinnamom ten ℥vj.
Acet. Scil. ut Ph. Lond. ℥ij.

Mane a jejuno tria cochlearia ſumpta erant & per diem unum cochlearium bis terve repetitum, nec unquam effectu ſuo deſtituta fuit medicina quum copioſum urinæ profluvium produceret.

Scillarum pulvis, modicis doſibus in Pilulas datus & ſæpius repetitus multo utilior eſt exhibendi modus, quam ipſa Radicis ſubſtantia recens, atque hac efficaciſſimum evadit diureticum.

Colchicum autumnale adeo a D. Storck celebratum, non æque hic efficaciter operatur ſe videretur, ea quam ejus tra-



tradit rationem: multo ſcillis inferior videtur & ubicunque utiliter adminiſtratum fuit, id ferme in levi morbi gradu accidit.

Ex Juniperi baccis cum centauria minore in vino infuſis liquor percolatus in potum communem adhibitus ſecundum Du Verney, optimos effectus dicitur elicuiſſe. (*t*)

Illuſtr. Van Swieten etiam ſæpe ſe ait obſervaſſe forte baccarum Juniperi Infuſum Aſciten & Anaſarcam curaſſe cum morbus non inveteraſceret (*u*).

Sales Alkalini, fixi præſertim, diuretica ſunt admodum efficacia.

Ingen. Sydenhamus libram geniſtæ cinerum cum Abſinthii vulgaris manipulo uno aut altero in libras quatuor vini Rhenenſis infundi præcipiebat, & ex liquore pure percolato uncias quatuor mane, poſt meridiem, & veſpere quotidie adminiſtrare ſolebat donec Hydrops ſanatus eſſet, indeque feliciſſimos ſucceſſus ſequi tradit (*w*).

Sales neutrales itidem, ex acidorum & alkalinorum miſtura parati ſæpe vim eximie diureticam exſerunt.

Monro ægrum hydrope univerſali laborantem ſanatum tradit, hauſtus ſalinos ter die ſumendo, cum hauſtu anodyno & in ea ſemidrachmam lixivii Tartari ſingulis noctibus

(*t*) Memoir l'Academ. des Sciences l'ann. 1703.
(*u*) Comment. de aphor. Boerhaav. Vol. IV. pag. 258.
(*w*) Oper. omnia tractat. de hydrope pag. 497.

bus ſub cubitum, & doſi nitri & Jalapii hebdomade (x).

Semen ſinapi, cæpa & allium utilia etiam diuretica ſunt. Cæparum uſu hydrops ſanatus traditur (y). Burnet quoque allii uſu Aſciten ſanari memorat, poſtquam æger multa alia medicamenta inutiliter abhibuiſſet (z).

Ill. Van Swieten e Combaluſier (a) ægri exemplum adducit, cui acetum ad uncias quinque vel ſex hauſtum, ad Aſciten curandum profuit.

Quia dejectio in hoc morbo, propter diureticorum uſum, rarior eſt quam conveniat, alvus tertio quoque die ſolvendus eſt (b).

Cantharides, quarum Hippocrates, in hoc morbo uſum tantopere commendabat, merito nunc omittuntur.

## *DISSIPATIONE.*

Providendum eſt etiam ut perſpiratio reſtituatur (quamvis id in Anaſarcis ferme quam in aliis hydropis ſpeciebus utilius ſit) quoniam, ſi excretio per cutem augeatur, minor fluidorum copia in cava defertur.

Hæc autem promovenda eſt agitatione, frictione, arena calida, Hypocauſto aut Balneo, ſalibus alcalinis, tum fixis tum

(x) An Eſſay on the dropſy pag. 65.
(y) Miſcel. Curioſ. a. n. c. ann. 5, 6. obſ. 40.
(z) Theſaur. Medic. Lib. VIII. §. XII.
(a) Pneumato Patholog. pag. 535.
(b) Storck Ann. Medic. pag. 62.



tum volatilibus, & diaphoreticis leniter ſtimulantibus omnis generis, ſalibus neutralibus & mixturis, mercurii quoque uſu, ſi ejus effectus accurate verſus cutem dirigantur.

Opium ſæpe efficaciſſimum ſimul diureticum & ſudorificum eſſe compertum eſt, & Antimonio junctum certius agit: Cl. Monro tincturam thebaicam & vinum antimoniale magno uſui fuiſſe memorat. (c)

## *PARACENTESI.*

Hæc operatio maximum ſucceſſum ſpondet, quando in recenti ſit hydrope; ubi non a viſcerum affectu aliquo, ſed a mera debilitate oritur, ab evacuationibus aut nimia tenuium liquorum copia ſubito epota corpore calido.

Ubi vero viſcerum cujusvis Schirrus hunc morbum comitatur, paracenteſis curatio eſt imperfecta & mere palliativa, ut aiunt, neque uſquam peragenda, niſi ubi medicamina ſuo effectu deſtituuntur.

Operatio hæcce raro quidquam præter levamen morbo temporarium adfert, & raro mors non mox inſequitur; iſtud autem ex hiſce duabus rebus maxime pendet, nimirum, quod operatio procraſtinetur, donec ægri vires fuerint exhauſtæ, & quod poſt operationem aër liberius ſit admiſſus.

Duo hæc ſunt quæ ſæpe morbo huic accidunt, quorum prius

(c) An Eſſay on the dropſy pag. 79.

prius ex ægri ſollicitudine provenit, quod libenter medicamentorum effectus eatenus experiri velit, donec ſola neceſſitas operationem ſubire cogat, ne ſuffocatio ſupervenirer.

Celeb. VAN SWIETEN e Benevoli (*d*) caſum quendam memorat, quo liberior aëris admiſſio in cauſa fuiſſe mortis ægro, manifeſte videbatur; ubi poſtmodum corpore reſecto, in cava jecoris parte obſtructio quidem parva inveniebatur, ſed totum peritonæum putrefactum erat & ingens puris copia in abdominis cavo.

Duo Paracenteſeos exempla vidi, ubi feliciſſimus morbi exitus exſpectandus erat; uterque tamen æger, Chirurgi imprudentiâ, ex aëris, ut videtur, admiſſione mortuus eſt. Aquæ eductæ acrimonia prorſus vacuæ, ſed poſt mortem omnia viſcera in ſtatu erant putredinis; atque hæc, ſecundum Celeb. VAN SWIETEN, cauſa videtur, quâ tot Medici clari operationem hanc damnaverint. (*e*)

Venæ abdominis cutaneæ interdum inſigniter diſtenſæ & varicoſæ ſunt; iſtæ ſunt vitandæ; locus perforationi aptiſſimus, centrum eſt inter umbilicum & anteriorem ſpinæ Ilei proceſſum eo in latere, ubi fluctuatio maxime conſpicua eſt. Ægri ſitus recumbentis, quam in tripode aut cathedra ſedentis potior videtur; quum ſitus hic recumbentis ad Syncopes preveniendas multum conferat, quæ in aquam edu-

(*d*) Diſſertazioni di Ant. Benevoli pag. 126.
(*e*) Comment. de Aphor. Boerhav. Vol. IV. pag. 242.



cendam toties comitantur funeſtæ. Ante perforationem cingulum quale ab Cl. ALEXANDRO MONRO Senior deſcribitur (*f*), ægro circumdandum eſt; aqua omnis ſimul eodem tempore educenda, cingulum arctius conſtrictum, prout aqua educitur, prohibet quo minus aliquid gravius accidat, ab amota in viſceribus preſſura; quorum vaſa, eo quod ante compreſſa fuerint, nunc facile dilatantur, & fluidis impulſis cedunt. Hinc minor ſolito portio ad extrema ſuperiora & caput fertur; hinc omnia Encephali vaſa collabuntur, & ſyncope mortifera inducitur. Poſt operationem Anodynum eſt præbendum, ad anxietates, ſpasmos & tormina præcavenda, quibus æger alioquin agitari ſoleat.

Catharticum etiam ægri temperamento accommodatum, tertio aut quarto quoque die a paracenteſi datum, alvus ſæpe per aliquot poſtea hebdomadas in ſtatu naturali permanet. (*g*)

Si materia craſſior ſit quam ut per cannulam fluat, aut ſi hydatides aquâ immiſceantur, orificium incidendo dilatandum eſt. Et ubi viſcerum quodvis peritonæo adhærens duo cava efficit, quorum utrumque aquam includit, utrumque incidendum eſt. (*h*)

Ubi hunc morbum comitantur tumores intercutes in extremis inferioribus, ſcarificationes tum & puncturæ in iis locis ſæpe proſunt.

Si

(*f*) Medical Eſſays Vol. I. pag. 214.
(*g*) STORCK Ann. Medic. pag. 1758. pag. 60.
(*h*) Monro an Eſſay on the Dropſy pag. 210.

Si venter, paracenteſi quamvis jam facta, rurſus intumeſcat, ægerque rurſus magnum vitæ periculum ſubeat, ad aquam educendam rurſus facienda eſt, & quandoque ſæpius repetenda: ita enim ægrorum vitæ per menſes aliquot ſæpe producuntur.

Liquorum aſtringentium injectio in abdominis cavum, poſt aquas eductas, olim factitata, propter incommoda praxim illam conſequentia, nunc prorſus omiſſa videtur.

Ubi æger ſimul hernia laborat, aquæ interdum ſaccum intrant, atque etiam ubi ea abeſt, ſæpe umbilicum admodum diſtendunt, in feminis præcipue, easque partes inciſione eventu felici aperiri interdum fuerunt, id vero nequaquam periclitandum; quoniam humores per umbilicum educere difficillimum eſt, vulnusque in hac parte factum vix unquam ſanatur. Periculum præterea herniæ umbilicalis hanc in umbilico operationem vetare videtur.

Quando hydrops ex evacuationum, e. g. menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſione exoritur, conandum eſt, ut eæ reſtituantur, ſi opus ſit, & fieri poſſit: ſi vero id fieri nequeat, nitendum, ut effectus, quos earum ſuppreſſio induxerat, ſubmoveantur, & ut ſyſtema corroboratur.

Quando ab exhalantium atonia inducitur, vel aucta fluidorum aqueorum ratione, reſtituenda eſt ſyſtematis vis tonica, augendæ ſunt conſtantiores fluidorum partes, & ſubmovendi effectus, quos aut ſolidorum laxitas, aut fluidorum tenuitas induxerint. Magna hic regiminis cura habenda eſt; ut victus conſtet ex pane bene fermentato, toſto aut



aut biſcocto, ovis, carnium generibus maxime nutritiis, juſculis fortioribus &c. cum libero aromatum calidiorum uſu e. g. raphani equini, cepæ, allii &c. vini etiam Rhenenſis.

Cutis etiam frictio, ſcopula aut panno craſſiore facta hic ſpectat, & multum prodeſt, cum exercitatione quanta ſine fatigatione perferri poteſt. Navigationem quoque, conſentaneum eſt, hac in re multum conducere, utilesque effectus habituram; quatenus fluidorum motum auget, ut emeticum agit, & certiſſimum quod novimus ſudorificum eſt.

Ubi morbus ex atonia oritur, balneum frigidum haud incommodum eſt, eaque medicamenta, quæ ſyſtema corroborant, qualia ſunt Cortex Peruv. Chalybs, &c. &c.

Ubi vero ex vaſorum, veſicularum aut ſuccorum ruptura exoritur, curatio palliativa tantum expectanda eſt.

Inter medicos conſtat, in hydrope parum aut nihil potus utendum eſſe, niſi forte inſigne aliquod ſanguinis momentum adſit, quo in caſu potus acidulos adminiſtrare licet.

Cel. Sydenhamus ægris ſuis præſcribere ſolebat, ut ora aqua frigida, Vitrioli ſpiritu acidula reddita, ſæpius humectarent, aut ad ſitim fallendam, limonii partem vel Tamarindos aliquot in ore aſſidue ſervarent.

Ill. Van Swieten ex Marcello Donato viri cujusdam exemplum memorat, qui a medicis derelictus, continua a liquoribus per totum annum abſtinentia convaluit (*i*)

Hildanus Aſcitæ ſanati hiſtoriam tradit, a potu per menſis ſpatium abſtinendo.

Ce-

(*i*) Vol. IV. pag. 268.

Celeb. MEAD duo *Aſcitæ* potus abſtinentiâ ſanati exempla tradit, acidulis modo ſitim fallentibus (*k*).

GALENUS ſe quosdam hydropibus laborantes vidiſſe narrat, qui a potu per dies quindecim abſtinendo ſanati fuerunt (*l*).

Eademque etiam ratione curationem perfectam memorat PLINIUS (*m*).

Hactenus fluida collecta amovendi ratio diſſertationem hanc exercuit, proxime, quibus rebus ſyſtema corroborandum ſit, dicendum eſt.

Pauci omnino ſunt morbi, in quos æger proclivior eſt, ut relabatur, quam in hydropa; in quo primaria morbi excitandi cauſa præcipue ſpectanda eſt.

Utendum igitur corporis exercitatione, frictionibus, cibo arido, aere ſicco, balneoque frigido, perſtandum etiam in uſu corroborantium aliorumque medicamentorum quæ morbo minuendo inſerviunt; doſis quoque eorum augenda eſt, donec ſolitus ſyſtematis tonus reſtituatur; atque ex optimis, quoad novi, roborantibus medicamentis, quod ſequitur, præcipuum videtur:

℞. Rad. Columb.

Sem. Cardamom. min. decort. āā ℥j. infuſum in vini albi libris duobus per aliquot dies. Duo hujus cochlearia ante prandium ſumenda, præterea ſingula cochlearia bis eodem die.

---

(*k*) Monita Medica Cap. VIII.
(*l*) Lib. VI § 4. Comment. 8.
(*m*) Lib. 7. Cap. XVIII.

FINIS.